UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori || Helvici || In Academia Giessena Quondam Do-||ctoris & Professoris, Theologi, Philo-||sophi, Historici, Chronologi, Philologi || laudatissimi, Libri || Didactici,|| Grammaticæ || ...

Helwig, Christoph

Giessae, 1619

In Participio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70031

Visual Library

3. Quæ modò Activè, modò Neutraliter ſignificant in eadem Forma:

Coëo, Differo, Duro, Facio, Incipio, Maneo, Moror,
Offendo, Paſco, Ruo, Sufficio, Supero, Suppedito,
Tardo, Vario, Verto.

4. Quæ in diverſis Conjugationibus eàdem ſignificatione reperiuntur.

Cieo, ēre, & Cio cire.
Sallo, ĕre, &, Sallio, īre.

Orior, orĕris & orīris, orĭtur. Orĭmur, &c.
orĕrer & orīrer.
Potior, īris, ĭtur & ītur.
potĕrer & potīrer.

Cætera Tempora ab his duobus Verbis uſurpantur tantùm in Conjugatione 4.

IN PARTICIPIO.

Vnde formantur Tempora Participiorum?

Præſens fit ab Imperfecto, mutando Bam *vel* Bar *in* NS.
Præteritum fit à Supino poſteriore, addendo S.
Futurum in URUS *fit à Supino poſteriore, addendo* RUS.
Futurum in DUS *fit à Participio præſenti, mutando* S *in* DUS.

Quot Participia veniunt à quolibet Verbo?

I. *Verba Activa & Neutra habent duo Participia, Præſens & Futurum in* RUS, [*quæ activè vel neutraliter ſignificant.*]

II. *Verba Paſſiva habent duo itidem Participia, Præteritum & Futurum in* DUS. [*Quæ paſſivè ſignificant.*]

¶ *Sed Deponentia activè ſignificantia habent 4. Participia: Præſens, Præteritum & Futurum in* RUS, *activè ſignificantia, Futurum in* DUS, *paſſivè.*

Deponentia neutraliter ſignificantia, habent tria Participia, Præſens, Præteritum, & Futurum in RUS, *neutraliter ſignificantia.*]

OBSERVATIONES.

Participia ſæpe degenerant in Nomina pura tàm Subſtantiva, quàm Adjectiva.

1. *Participia, ſi amittant ſignificationem temporis fiunt Nomina. ut, doctus, innocens, perfectus.*
2. *Participia in* NS, *fiunt pura Nomina, quando habitum ſignificant.*
3. *Participia in* NS, *abſolutè poſita, fiunt Nomina Subſtantiva.*

[*Et quidem ejus generis, cujus eſt Subſtantivum Subintellectum, ut:*

Oriens, occidens ——— *ſc. ſol*
continens ——— *terra*
adoleſcens ——— *puer, vel virgo.*]

4. *Participia Neutra, abſolutè poſita, fiunt Subſtantiva Neutra, ut, accidens, dictum, factum.*

Quæ Participia veniunt ab Imperſonalibus?

Imperſonalia perpetua, carent Participiis Præſentibus, Supinis & Gerundiis, Præter hæc:

Libens.
Licitus, Liciturus.
Pœnitens, pœnitendus, pœnitendum.
Pudens, puditurus, pudendus, pudendum.
Pertæſus, activè.

IRREGULARIA.

1. *Verba quæ Supino carent, carent etiam Participiis inde formatis: Præterito ſcilicet, & Futuro.*
2. *Anomala ſunt:*

À Morior ——— *Mortuus, moriturus*
À Naſcor ——— *naſciturus*
Ab Orior ——— *oriturus*
À Pario ——— *pariturus*
Ab Eruo ——— *eruiturus.*
À Diſco ——— *diſciturus*

Accidit etiam nonnullis Participiis Comparatio, ut:

Honoratus,	*honoratior,*	*honoratiſſimus*
Veſtitus		*veſtitiſſimus*
Inſtructus		*inſtructiſſimus &c.*
Amans	*amantior*	*amantiſſimus.*]